

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOREA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

CHOREA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDMUNDUS LOCKYER,

ANGLUS,

SOCIET. SPECUL. EDIN. SOC.

NECNON

MEMB. EXTRAORD. DE LA SOCIET. DE MED. DE L'ÉCOLE

DE MED. A PARIS.

VII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS BALLANTYNE.

1805.

AVUNCULO OPTIMO

JACOBO PENROSE,

ARMIGERO,

REGIS CHIRURGO EXTRAORDINAR.

NECNON

FAMILIÆ REGALIS CHIRUR. ORDINAR.

TAM

OB SCIENTIAM MEDICAM

QUAM

OB ANIMI PROBITATEM, ET MORUM SUAVITATEM

INSIGNI;

PARVULUM HOC

ANIMI HAUD INGRATI

TESTIMONIUM

D. D. DQUE

EDMUNDUS LOCKYER.

Morbos autem non eloquentia, sed remediis curari.

CELSUS, *Pref.* 30.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOREA.

HISTORIA MORBI.

SCRIPTORES antiquos, hic morbus, haud latuisse videtur.

GALENUS nomine, ni fallor, mutato, morbum Scelotyrben appellat.

Clarissimus SYDENHAMUS ei nomen Cho-

ream Sancti Viti dedit *, a SAUVAGESIO, tarantismus enteneasmus †; a PLATERO, saltus viti, a PARACELSO, lascivus nominatur.

Apud HORSTIUM, hic morbus sibi nomen adeptus est ‡, ex fœminis quibusdam quæ convulsionibus, fatuitateque, correptæ, hæc mala ab irato numine, profisisci arbitrebantur. Ergo quotannis ad sacellum Sancti Viti ibant, in finibus Ulmensium, atque ibi se exercebant, nocte dieque, donec deliquio animi succumberent,

Hoc modo, numine pacato, restitutæ fuerunt, usque ad mensem Maii sequentis, quo

* Vide SYDENHAM. Scedul. Monitor. necnon process. integr.

† Vid. SAUVAGE. Nosolog. Method. Class. 8. Gen. 15.

‡ Vid. G. HORSTIUS, Epist. Medic. Sect. 8.

rursus anxietate, et motu abnormi artuum implicatæ, diebus festis, quotannis, in ædem Sancti Viti cogebantur, saltationis gratia.

Hac ex fabula nomen morbi arripuimus.

DEFINITIO.

ILLUSTRISSIMUS CULLENUS his verbis Choream diserte exponit: “Impuberes utriusque sexus, ut plurimum intra decimum, et decimum quartum ætatis annum adorientes, motus convulsivi, ex parte voluntarii, plerumque alterius lateris, in brachiorum et manuum motu, histrionum gesticulationes referentes; in gressu pedem alterum sæpius trahentes quam attollentes*.”

* Vid. CULLEN. Nosolog. Method. Tom. ii. Gen. 51.

MORBI INDICIA.

PUEROS et puellas, ante pubertatem, Chorea adoritur, sed illæ huic malo magis obnoxix sunt.

Ab anno decimo, ad quartum vel quindecimum ætatis annum, plerumque accedit; sed exempla non nobis desunt, adulatorum, immo etiam hominum ætate provectorum, qui hoc morbo laborâvere.

Divitem quendam cognovi, qui puer adhuc, Choream expertus, etiam nunc anno scilicet quinquagesimo et octavo, paroxysmis hujus morbi pati solet.

Quinetiam clarus HEBERDENUS narrat,
“quin curaverim sexennem hoc morbo labo-
rantem, qui porro alteri contigit anno vige-
simo *.”

Debilitas, mobilitasque quædam, et breves
nervorum distentiones, ægros per menses ali-
quot vexant, antequam Chorea vera adsit.

Motus convulsivi, et abnormes, imprimis
pedem crusque implicant; brevi post, bra-
chium et manus ejusdem lateris afficiuntur, et
si ambulare velit æger, pedem sibi trahit
more paralyticorum.

Brachium continuè et violentius pede agi-
tatur, nec in eodem loco, vel momento tem-

* Vide HEBERDEN. Comment. cap. 20.

poris contineri potest, sed huc et illuc convulsione distorquetur.

Hoc autem manifestius patet, si aliquid ad os adducere cupiat æger, quia manum spasmō deductam linea recta porrigere nequeat. Eodem tempore lingua morbo adfecta, balbutatio fit, et sermo aut confusus, adeo ut vix intelligi possit, aut vox prorsus nulla est.

Musculi faciei, collique, has convulsiones participant, nictat frequenter æger, et os torquet.

Hi motus ex parte voluntarii sunt, mens revera fit infirmior, et ingenium puerile, adeo ut miser his motibus convulsivis et ridiculis, quodammodo gaudeat.

Puellam ætatis anno decimo noveram, cui,

hoc morbo implicatæ, brachium sinistrum et muscoli faciei præcipue afficerentur: per sex hebdomadas, quum medicamenta varia, tonica et alia tentarentur, quæ quidem nihil profecerunt, demum minis continuis nutricia suæ (quam valde pertimescebat) quiescere et ab his motibus coacta abstinere, convaluit.

Sed si hi motus vi reprimuntur, plorat multum æger, et sensus suffocationis adest, cum anxietate circa præcordia.

Pulsus arteriarum imbecilliores solito sunt, et aliquando concitati.

Urina parum est mutata. Alvus frequenter astringitur, et quando solvitur, dejectiones plerumque fœtidæ sunt, et coloris nigri.

Cibi fastidium est, vel desiderium morbide augetur.

Somno instante, motiunculæ inordinatæ cessant, sed morbo ingravescente, somni multum perturbantur.

Morbo perstante, torpor, macies, angoresque ventriculi accedunt.

Puerum vidi, ætatis anno duodecimo, quem hic morbus annum integrum, quin et diutius vexabat: corpore diu languescente, demum convulsionibus tam diris correptus fuit, ut illum lecto alligare oporteret; fæces urinamque invite reddibat, ex acerrimo dolore laborabat, donec mors amica, sæpe vocata, veniret.

CAUSÆ REMOTÆ.

VARIÆ sunt causæ remotæ, quæ hunc morbum creare dicuntur.

Quidam de medicis veteribus, theoriam nullam habentes, rationi congruentem, ad auxilium illud artis magicæ commodissimum confugiunt.

Quinimo, osculum cadaveri datum, cum aliis causis Choreæ, annumeratum est.

Scriptor ingeniosus quidam, in libro, cui titulus est, "London Medical Transactions," exemplum dat hujusce morbi, arte musica excitati.

Evacuationes solitæ repressæ; succi gastrici prava secretio, et eruptiones subito retro-pulsæ, inter eas causas, quæ Choream sæpe inducunt, recte enumerantur.

Quantum commercium habet hic morbus, cum omnibus irritantibus in intestinis sitis, docent remedia, quæ perito HAMILTONIO imperante, tam fauste morbum solvunt.

Hunc morbum nonnunquam dentitione nasci, observationibus professorum nostrorum eorundemque celeberrimorum MONROEANI et GREGORII jam satis constat.

CAUSÆ PREDISPONENTES.

Ex causis quæ homines Choreæ obnoxios reddunt, enumerandæ sunt, nimia irritabilitas mobilitasque corporis, quæ initio in pueris veneris, puellisque menstruum propriæ sunt. Quippe genitalibus non tempestive evolutis, homines non bene adolescent, sed toto corpore languescunt et flaccescunt, nec bona valetudine fruuntur.

Atqui alia sunt, quibus homines huic morbo opportuniores fiunt, nam plures ante annos pubertatis, compluresque etiam, sed multo rarius post pubertatem, homines Choreæ implicantur; hujusmodi sunt, vita sedentaria, victus parcus, tenuis, et non concoctu facilis.

CAUSÆ PROXIMÆ.

QUOMODO hæc irritantia in genere nervoso agunt, vel quomodo imperium voluntatis in quibusdam musculis diminuitur, me nescire fateor.

Quod sæpe causa morbi proxima appellatur, mihi ne minima quidam ex parte a morbo ipso distare videtur.

Ita quum Chorea causam proximam in defectione imperii voluntatis in musculis membrorum, constare diximus, nil exponitur, symptomata solummodo morbi alio vocabulo narramus, ex quo sermo confusus, nec satis dilucidus, oritur, qui omnium rerum cognitionem maxime impedire solet.

DIAGNOSIS.

HAUD multis morbis Chorea confundi potest. Dentitione, gingivarum inspectione, perspicue dignoscitur. A verminatione, dentium stridore, naris pruritu, aliisque signis discernitur.

Hysteria aut paralyti dignoscitur Chorea, non solum externa morbi facie, verum etiam remediis.

PROGNOSIS.

Hic morbus rarissime periculosus est, sed tamen trahit aliquando diutius.

Tres vel duos menses sæpius perdurat: unus et alter annum integrum ægrotaverunt.

Quanto magis convalescit æger, tanto minus pedem ducit, tanto diutius et constantius manum fixum eodemque in situ continere potest.

Si contractiones graviores, et frequentiores fiant, voluntati minus minusque pareant; si magna virium prostratio sit, et si usque ad pubertatem perveniret æger, nullo levamine accepto, pessima sunt signa, et spem curæ optatæ nos inchoare vetant.

RATIO MEDENDI.

DUM debilitas et mobilitas causæ hujus morbi existimabantur; antispasmodica et tonica omnis generis, medicis usque ad hoc tempus assidue imperata fuerunt.

Sed hic forsitan mihi est, quantum possim numerare, eas rationes medendi, quæ a medicis illustrissimis, ad Choream sanandam, plurimum valere putabantur.

Celeber SYDENHAMUS non solum ad tonica omnia confugit, sed sanguinis detractionem et lenia cathartica cum iis conjunxit.

MEAD ait, mihi nunquam difficile fuit,

hunc morbum curare ope lavatione frigida et præparationibus ferri.

ALLEN memorat puellas binas hujus morbi curatas esse detractiōne sanguinis, et postea a cortice Peruviana et catharticiis mitibus.

Ignis electrica, ab DE HAENO, maxime laudatur, et unum et alterum exemplum dat*, quibus bilem putridam adesse, et cathartica, multum profuisse, tam bene notat, ut illum hoc loco citare oporteat †.

* Vid. DE HAEN. Ratio Med. cap. 6. De machina electrica.

† “CLARA BERGERIN, anno duodecimo, medio Maio, chorea Sancti Viti affecta, vigesimo-duo Junii, ad nos affertur. Manuum motus ipsi, adeo titubans et ridiculosus, ut ad nullum usum apta sint, et ut a matre nutrienda, omnibusque in rebus adjuvanda sit. A quarta virtutis electræ applicatione sola comedere potest. Vigesimo-

CULLENUS celeberrimus, et HEBERDENUS, sanguinis missionem et cathartica valentiora, non solum nunquam profuisse, quin et interdum nocuisse dicunt; et cinchonam, myrrham, aquas amaras et similia magis convenire opinantur.

septimo Julii, integre restituta esse visa est, nisi quod dextra manus, necdum haberet æque firmum quam læva robur. Sed jam collum ipsi totum pluribus tuberculis cingitur. *Iteratum purgans hæc dispulit.* Vigesimo-tertio Augusti, tota sana dismissa est.

“JORDININ similis puella, fuerat elapso triennio, a chorea Sancti Viti, integre curata; biennio dein a magno terrore, pravaque diæta, in eandem relapsura videbantur. *Cum putrida bilis vias primas obsideret*, pulpa tamarindorum cum cremore tartari, per aliquot dies sumpta, emendavit corpus ita, ut et primæ viæ puræ essent, et choreæ Sancti Viti initia præfocarentur. Mense Maio, hujus quem vivimus anni, citra causam ullam notam, Choreia rediit, nec olim adhibitis remediis, nec aliis neuroticis aut roborantibus cedens. Vigesimo-septimo die Junii ad machinam accessit, vigesimo-tertio Augusti, penitus curata est. In omnibus chorea Sancti Viti semper ad machinam cessit.”

Ingeniosissimus DARWINUS submuriatem hydrargyri, cinchonam, ferrum, opium et balneum tepidum cum venæsectione laudat; sub initio morbi, vult ægrum conari artus movere ut decet.

Hodie etiam medici multi et nonnulli haud parvi nominis, metallorum præparationes, sulphatem zinci, ammoniaretum cupri, et nuper inter stimulantia, camphoram laudare solent.

Superest, solum ut officio gratissimo fungar, nimirum ut lectoribus meis exponam, et fideliter narrem, exempla quinque Choreæ, quæ sanitatem recuperaverunt in noscomio regio Edinburgi, ope peritiæ summæ, et methodi medendi novi, ab viro illo spectatissimo Doctori HAMILTONIO seniore nuper instituti.

GULIELMUS SINCLAIR, æt. 10. in noscomio, die Augusti secundo admissus 1802, motibus musculorum invitis membrorum superiorum conflictatur, muscoli aliquando faciei etiam hoc malo tentantur, deinde contortio fit oris, et vox vix intelligenda evadit; dolor occipitis vexat, et circuitus faciei sanguinis multum augetur.

Æger posituram erectam non sine auxilio assumere potest, tamen in initio morbi, aliquas voluntatis vires, in membris inferioribus habuit, et antehoc, unum post alterum crus trahere videbatur.

Debilitas corpus totum pervadit. Alvus astringitur, et venter tumescit. Cibi cupiditas diminuitur. Pulsus arteriarum debiles, et circa nonaginta ictus in horæ minuti spatio. Morbo perdurato decem diebus sub hac

forma, omnia symptomata ingravescere cœperunt, et nunc primum medicamenta exhibebantur.

Aug. 3. ℞ Sub. mur. hydrar. gr. iii.

Pulv. jalap. gr. x.

Fiat pulvis primo mane sumendus.

5. Dejectiones here et hodie copiosæ et naturales fuerunt. Alvus minus tumida. Pulsus tranquilla. Motus abnormes, et occipitis dolor manent, sed stabilius ambulat.

Cras repr. pulv. e sub. mur. hydr. cum jalap.

6. Sedem unam fœculentam ante meridiem habuit. Dolor capitis et motus eadem manent. Gradu firmior et stabilior est.

8. Sanitatem recuperare perstans, demissus fuit.

Hab. secum, sub. mur. hydr. gr. x.

Sacch. gr. ii. intime misceantur.

Tritura et divide in dos. viii. cap. unum O. N.

H. S.

ELIZABETH LAWRIE, æt. 14. die duodecimo Septembris admissa fuit; motionibus involuntariis assiduisque brachii sinistri affecta, et musculi faciei eodem modo infestantur, aliaque signa, in ægroto altero jam jam memorata adsunt. Alvus in statu sano, calor cutis naturalis est, et pulsus circa ictus septuaginta et quinque in horæ minuti spatio. Hoc morbo per duas hebdomadas laborat, cephalalgia vomituque spontaneo præeunte. Ægra aliqua remedia assumpsit, quorum naturam ignorat.

Sept. 13. Hab. q. p. bol. e sub. mur. hydr. cum jalap. et vespere, ni solvatur alvus, enema domesticum.

14. Dejectiones plures, copiosas, fœculentas sed fœtidas habuit.

Hab. omn. noct. pill. aloet. iii.

15. Alvi dejectionem unam habuit vespere adveniente. Motus involuntarii immi-
nuuntur. Rept. pill. aloet. vesper. et sumt.
cras mane infus. sennæ ʒiii.

16. Continuentur cathartica.

17. Firmitate vigoreque aucta ambulat,
vero motus inordinati brachium sinistrum as-
sidue vexant. Catharticum ultimum dejec-
tionem nullam elicuit.

Hab. q. p. haust. ex oleo ricini. repr. pill.
aloet. et infus. sennæ ut antea.

18. Contr. cathart.

19. Alvus non soluta est, et omnia mala brachii sinistri exasperantur.

Hab. q. p. bol. e sub. mur. hydr. cum jalap. Intr. pill. aloet. et infus. sennæ.

20. Alvi dejectiones plures foetidæ et biliosas habuit. Bolus vomitione rejectus fuit.

Hab. pill. aloet. xii. sumt. ii. omni quadrihorio.

21. Alvus astricta manet. Contr. pill. ut heri.

22. Alvus heri soluta fuit, brachium stabilius evadit. Contr. pillulæ.

24. Alvus hodie satis soluta. Fæces spissitatis propriæ, sed coloris nigri et mali odoris

sunt. Motio inordinata brachii multum imminuitur. Contr. pill. aloet.

26. Hab. vesp. enema purgans. Cras mane. Infus. sennæ ꝑiv. duobus vicibus. Intr. pill. aloet.

29. Sedes sanæ sunt, alvus ter hodie soluta fuit. Ægra ad sanitatem revocata e nosocomio egrediit. Hab. secum. pulv. jalap. comp. ꝑiv. divid. in dos. xvi. c. i. O. M.

THOMAS WHITE, æt. 9. 28to Decembris admittitur 1803.

Omnia mala, quæ ægrotam ultimam premebant, hunc ægrum infestant, præter quod, somno instante, motiones invitæ perstant. Pulsus non est concitatus. Alvus sana est. Hæc signa diebus octo adfuerunt. Morbus

in initio latus dextrum invasit, et sinistro magis implicabatur.

Dec. 29. Hab. bol. e sub. mur. hydr. cum jalap.

30. Repr. bolus.

31. Alvi dejectiones duas parcas habuit, coloris subflavidi et substantiæ nonnihil tenacis. Motus inviti minus urgent, et somno adveniente cessant. Gressu firmiori ambulat. Repr. bol.

Jan. 1. Repr. bolus.

2. Pill. aloet. ii. omni trihorio.

3. Dejectionem copiosam et fæculentam habuit. Oculi vividiores sunt, vultus magis

sanitati refert. Motus inviti multum immi-
nuuntur. Cibi desiderium redire cæpit. Ab
die hesterno ad hoc tempus pillulas decem
cepit. Contr. adhuc pill. aloet. usque dum
iterum plene dejiciatur alvus.

4. Sedem copiosam et naturalem habuit.
Appetitus augetur, et motus inviti minui non
cessant. Intr. pill. aloet.

7. Ab ægritudine recreare perstans de-
missus fuit. Hab. secum pill. aloet. xxiv.
capt. i. vel ii. O. N.

MARGARET JAMESON, æt. 16. Maii 10.
1804, admissa. Eodem modo affecta fuit,
nisi quod, somno instante, motus inviti non
premant, quamvis nocte præcipue urgent,
somnumque adimunt.

Pulsus arteriarum circa ictus octoginta et quatuor in horæ minuti spatio. Lingua est nitida.

Cibi cupiditas haud parum imminuitur. Sitis urget. Alvus astricta est.

Menstruorum profluvia semel sed parce fluere experta fuerunt, decem abhinc mensibus. Hic morbus mense Januarii hujus anni ægrum primo occupare cæpit, vero solebat antehoc proba frui sanitate.

Brachium, sinistrum et crus primo laborabant, et hebdomada una et altera elapsa morbus ad latus dextrum sedem mutavit. Multa remedia frustra adhibita fuerunt, quorum naturam ægra ignorat.

May 11. Sub. mur. hydr. gr. iii.

Pulv. jalap. comp. gr. x. m. ft. bol. statim sumend.

12. Alvus bis soluta fuit, se meliorem esse putat.

℞ Sub. mur. hydr. gr. v.

Pulv. jalap. gr. xv. m. ft. bol. cras primo mane sumend.

13. Motiones invitæ multum imminuuntur. Fæces naturales sunt. Alvus ope medicamentis satis soluta fuit.

℞ Cras. mane bol. ut antea præscript.

16. Ope cathartici quatuor dejectiones hodie producuntur. Fæces nigræ sunt et mali odoris. Motus convulsivi multum diminuantur.

Iterum, repr. cras mane bol. ut antea.

18. Catharticum satis responsit. Fæces naturales fuerunt. Motus invitæ omnino vexare cessaverunt. Esto diæta plena.

20. His remediis convaluit æger.

MARY MURRAY, æt. 15. 8to. Junii, 1804, admissa fuit. Motibus invitæ et inordinatis magis minusve assidue infestatur, capitis, linguæ, maxillæ inferioris, membrorum superiorum, et etiam membri inferioris dextri; tamen his malis sinistrum caret. Omnes partes præter naturam affectæ varias actiones habent. Facultas voluntatis tam male perficitur, ut manus officiis sibi propriis non fungi potuerint, et ægra ope aliorum cibum sumere coacta est. Crus dextrum post se trahit. Somno adstante hi motus cessant. Cephalalgia, vox balbutiens, mens infirma etiam æ-

gram conflictant, et subinde triste plorat, nulla causa manifesta.

Sub vespere abdomen fit tumidum, quod mane e conspectu evanescit. Pulsus arteriarum circa ictus octaginta in horæ minuti spatio. Lingua haud morbida est. Cibi cupiditas non tollitur. Alvus ex toto supprimitur. Hæc mala, tribus adhinc mensibus, occupare cæperunt, cum doloribus crurum, brachiorumque, rheumatismo similibus, et frigori attribuantur. Hæc catharticis et applicationibus externis remota fuerunt; postea hi motus imprimis crura tunc partes omnes nunc implicatas gradatim adoriuntur. Antehoc malum puella fuit agilis, et vividæ salutis.

Junii 9. ℞ Sub. mur. hydr. gr. v. pulv. jalap. gr. xv. Ft. bol. primo mane sumend. Ab hac die, ad 21mum, quotidie continentur

cathartica, una die solummodo excepta, sæpius tres vel duæ alvi dejectiones producuntur.

11. Alvus heri post meridiem ope cathartico ter soluta fuit, et sedes coloris naturalis fuerunt. Motus inviti minus infestant. Vultus magis sanitati refert.

15. Catharticum ter hodie purgavit. Dejectiones nigræ fuerunt et odoris mali.

19. Nausea et vomitus usum cathartici hodie sequitur. Alvus bis soluta fuit. Motus inviti multum imminuuntur.

21. Ab die hesterna sedes quinque habuit, tamen de debilitate non queritur. Vultus magis sana apparet. Motus plurimum diminuuntur.

29. Motus inviti meliores sunt. Fæces naturales. Omitt. Bolus.

℞ Pulv. cinchon. off.

Pulv. valerian. sylv. p. æq. capt. gr. xxx.
forma boli bis indies.

Julii 1. Motus inviti emendantur, alvus astricta. Capt. cras mane bolum ex submur. hydr. gr. v. pulv. jalap. gr. xx. Ab hac die ad 14mum, tonica et cathartica assidue imperantur; per quod tempus, fæces naturales excernebantur. Die 14mo fæces naturales fuerunt. Motus inviti fere terminabantur, et sanitate recuperata, nosocomio egrediit.

Ex his exemplis narratis, et omnibus supra dictis, satis manifestum est, duas præcipue curæ indicationes adesse.

1. Causas excitantes tollere.

2. Ne redeat morbus cavere.

Cathartica anteponenda esse indicationem primam complere satis probatum est.

Si dentitio convulsiones augeat, artis chirurgicæ opus est.

Si vermes adsunt, eas expellere debemus remediis idoneis.

Indicationem secundam explere, ad omnia confugiamus quæ corpus firmum et robustum reddant, et assimilationem, concoctionemque cibi bonam promovent.

Hujusmodi sunt, cinchona, præparata ferri,

balneum frigidum, exercitatio quotidiana,
diæta nutriens, et levis et concoctu facilis.
Denique omnia quæ salutem dant corporibus
infirmis.

FINIS.

